



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. Quinam præterea actus prohibiti sint exerceri in Ecclesiis, vel aliis locis Ecclesiasticis, propter reverentiam loci?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tuta, prout statuitur in *e. Decet 2. h. t. in 6.* absurdum enim est, ut ait circa criminalia Pontifex, ibi iudicium sanguinis, (vel Civile) exerceri, ubi est tutela refugii constituta, non tantum delinquentibus, sed etiam contra Civilia debita, ut videbimus. Iudicia tamen Ecclesiastica in Ecclesia etiam exerceri posse validè, ac licitè, docet Glossa communiter recepta in *cit. c. 2. verbo: secularium*, & satis probari potest ex *c. Quà fronte 25. De appellat.* tum quòd maiorem rationem suorum iudiciorum habere debeat Ecclesia, quàm merè secularium; tum quòd ut sic Clericorum etiam honestati consulatur melius; negari tamen non potest magis fortasse decens, & conveniens esse, ut etiam tales Clericorum causæ, potiùs in palatio, aut consistorio Episcopali, quàm in Ecclesia expediantur, prout praxis habet, cum Ecclesia sit domus orationis, non iurgiorum.

## §. III.

*Quinam præterea actus prohibiti sint exerceri in Ecclesiis, vel aliis locis Ecclesiasticis, propter reverentiam loci?*

**C**ontractus fieri & negotiationes exercere in Ecclesiis prohibetur in *cit. c. 2.* (nisi ea tantum venderentur, & emerentur, quæ mox ad cultum divinum comburenda essent, ubi sunt cerei v.g. aut talia ad pietatem fidelium juvandam conducentia. Secundò prohibentur in *eodem c.* in Ecclesiis fieri publica communitatum Concilia, & parlamenta de rebus merè temporalibus. Tertid vult in *ist. c. 2.* Pontifex, ut in Ecclesiis cessent

vana, & magis fœda, & profana quia, cessent consultationes quælibet, & quæcunque alia, quæ divinum obicium turbare possent, cum Ecclesiis locus divino cultui deputatus: præcipiens etiam ordinariis locorum, inter talia faciant observari, & contravenientes debitis pœnis coerceant. Quibus etiam prohibentur in Ecclesiis loci theatrales profani *c. cum decorum 12. De vobis honest. Cleric.* Quintò prohibentur convivia in Ecclesiis *Can. Non oportet 4. dist. 41.* Sextò denique prohibetur omnia violentia Ecclesiis facta, ut constat ex *placito can. caus. 17. q. 4. ob reverentiam loci* loco sacro debitam, hæc omnia prohibentur Ecclesiis.

## SECTIO II.

*De iure, sive immunitate asyli, quod competit Ecclesiis, & aliis locis Ecclesiasticis.*

## §. I.

*Quo iure asylum, sive jus hoc immunitatis sit constitutum, & quomodo criminis ad Ecclesiam confugientium gaudeant immunitate asyli?*

**J**us asyli aliud non est, quàm privilegium, quo gaudent Ecclesie, & confugientes ad illas, velut ad asylum vim extrahi non possint, quod ius, sive privilegium non est introductum, sed naturali, vel jure divino positivo, sed humano tantum, Canonico, & Civili, neque enim aut intrinsecè malum est